



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Coelum decimum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

A Opt. Max. sedem significare contendit. Eucherius hinc cœlestes formas, ipsosque Angelos intelligit, ita per serenum cœlum electorum conventus ostendi dicit. Neque dissimilia Hefychius super tunica coloris hyacinthini.

## COELUM DECIMUM. CAP. XXXIX.

Species tamen ea Sapphiri throni, ut ab Isaache Philosopho explicatur, decimum cœlorum orbem designat, Empireum ab aliis vocitatum: ex colore siquidem sapphiri nitorem intelligunt illius lucis, quæ omnem supereminet lucem. Throni vero similitudo immobilitatem ejus indicat, siquidem orbis ille fixus manens, & quietus esse perhibetur. In Divinis sane literis legere est, *Intuebuntur pii, quæ sub pedibus Dei sunt, quasi opus lapidis sapphiri.* Quinetiam profana religionis auctores Jovem in throno statuebant, quod firmæ apud eum perennitatis indicium esset.

*Qui stabilis cum permaneat, dat cuncta moveri.*

## SMARAGDUS.

## VIRGINITAS. CAP. XL.

Sunt qui perpetuo claroque Smaragdi virore considerato, signum id esse virginittatis velint, idque in super argumento addunt, in patrandæ re Venereæ, quod experimento compertum est, si quis lapidem attingat, eum sponte frangi. Cæterum Astronomi Smaragdum Veneri cœlesti dedicarunt, & ad impetrandum ejus numinis afflatum perquam idoneum esse profitentur. Nihil autem cœlitus non undecumque purum, honestum, & candidum, mortalium animis, si Platoni & veritati credimus, inspiratur.

## JASPI S.

## GRATIA. CAP. XLI.

Jaspidem pro gratia poni auctores tradunt. Sumpsum ab ejus vi, quod mortalibus persuasum est, gemmam eam hominum gratiam conciliare erga gestantem. Unde non otiose dictum à Virgilio

*Illi stellatus Jaspide fulva  
Ensis erat:*

*Æneid. l. 4.*

quo præcipue tempore Didus gratia expetebatur, cujus amore detentus,

*Æneid. l. 1.*

*Carthaginis fundabat arces, ac tecta novabat.*

## VENUSTAS. CAP. XLII.

Sunt qui gemmas omnes in ornatu Veneri deberi putent, quod scilicet eam maxime comptam esse deceat, & deliciis omnibus affluentem. Opera pretium vero est apud Tertullianum legere, quæ de morosa gemmarum cura dixerit, dum nostras miseratur ineptias, qui tam anxie in re tam inani occupemur. *Tarde (ait) terentur ut nitent, subdole substruuntur ut florent, anxie formantur utri debentur.* Gemma enim pendens, & alia in hanc sententiam. Uniones tamen cum ad ornatum præcipue comparentur, venustatis significatum sibi ante alias usurparunt: lapilli enim reliqui non de pulchritudine tantum, sed de dotibus etiam aliis censentur: in unione nitor & lævor tantum expeditur. Quod vero fuerint, qui eos etiam devorare magnificum existimarint, id improbitati potius, quam ulli sit liberalitatis splendori tribuendum. Divinæ literæ per hieroglyphicum margariti, præmium ostentant, quod recte facientibus offertur. Evangelista: *Invento autem uno pretioso margarito abiit, & vendidit omnia, quæ quesierat, habuit, ut id emeret.* *Ue Cleopatra unio li-*

## UNIONES.

## LACHRYMÆ. CAP. XLIII.

Illud magis receptum, unionem esse lachrymarum indicium, sumpsum quidem à Conjectoribus, qui visos in fomnis uniones lachrymarum profluvium portendere tradiderunt: ajunt enim

Uuu

δρῦν